JOSEPHO BALDAN SACRA PRIMUM PERACENTI 24. CALENDAS MAJAS IN ECCL. S...

Carlo Luigi Salani

JOSEPHO BALDAN

SACRA PRIMUM PERAGENTI

XIV CALENDAS MAJAS

IN ECCL. S. ANTONII AB. DE PALUDELLO

CARMINA DUO

CAROLI ALOYSII SALANI

IN SEMINARIO PATAVINO LITTER. LAT. PROFESSORIS

FRIDERICUS FATTORI

AMICUS ET CONTERRANEUS

GRATULATIONIS ERGO

D. D. D.

350

Patavii 1870, Typ. Seminarii, M. Bruniera cur.

JOANNA D'ARC

JOANNA D'ARC

SEU

LA PULCELLA D'ORLEANS

AURELIAM URBEM OBSIDIONE LIBERAT

(Ex hist. eccl. Rohrbacher)

HEXAMETRI

Ingentes Anglorum acies Aurelia dudum
Mœnia circumstant, reliquis ubi sedibus acta
Antiquum imperium suprema ex arce tuetur
Gallica libertas. Jam fortia pectora cives
Sæpius egressi obtulerant, et sæpius undis
Subjecti Ligeris videre hostilia volvi
Corpora sanguineis; sed longa pericula passos
Deficiunt vires: spes evanescere cunctas
Auxilii cernunt, et, quos nondum Anglia bello
Flexerat, atra fames tenuat; jam jamque premendas
Anglorum vinclis tollunt ad sidera dextras,
Teque, pios miserûm numquam indignate querelas,
O Deus, inclamant, tanto qui robore Judith
Firmasti, et Deboram truculenta in bella dedisti!

Fundit ubi latices Mosa leni murmure primos,
Atque casas inopes, et agrestem Numinis ædem
Lambit, quam circum nemorosa cacumina inumbrant;
Surgit in auxilium patriæ fortissima Virgo,
Mirandum dictu! cui nunquam martius aures
Perstrinxit clangor; cui non perfusa cruore
Agmina et ereptis ex hoste frementia signis,
Excierant animos. Et quam modo juvit avitam
Vertere humum rastris, devexo aut margine rivi
Pascere oves, aut molle colo deducere pensum;
Nunc studiis instincta novis, fremit arma, ruitque,
Impius in patriam qua belli exæstuat ardor.
Ferrea virgineos lorica amplectitur artus:
Succisas aurata comas galea obtegit: ensem
Fuso assueta manus stringit, niveusque puellam
Fert equus impavidam stupefacta per agmina; et ipse
Nativus candor, rigidis qui spirat ab armis,
Exacuit magis audentes in prælia turmas,
Divinumque docet patriæ in discrimine donum.
Insolitæ commissa duci jam Gallica pubes
Castra inimica petit, quæ obsessæ comminus urbi
Trans Ligerem impendent, abruptisque undique fossis,
Et vallo ingenti, celsis et turribus horrent.
Nec mora: succedunt castris magno impete Galli,
Atque Anglos certæ volventes gaudia prædæ
Improviso agitant. Omnes præit ipsa phalangas,
Seque lacessitis Virgo prior objicit armis;
Quaque magis crepitant tormenta vomentia flammas,
Telorumque magis densus super ingruit imber,
Ipsa suos urget, totiesque a Numine palmam

Promissam memorat. — Duro at certamine fessi
Subsistunt Galli: ripâ sternuntur utrâque
Corpora vulneribus, fluitantque cadavera fossis.
Erigat ut fractos animos, tantisque morantes
Cædibus exstimulet, dux imperterrita fossam
Desilit in mediam, scalamque adscendere tentat
Admotam aggeribus, quum stridens missile ferrum
Oppetit heroinam et lævo infigitur armo.
Collapsam mage crebra petunt ex aggere tela;
Irrita sed clipeo repulit, donec pius ægram
Extulit inde comes, positamque sub arbore curis
Allevat assiduis. Lacrimis et sanguine primum
Herbosi maduere tori; mox intima suetis
Vocibus ut Virgo urgeri præcordia sensit,
Femineum indignata animum, Numenque precata,
Vulnere trajectam lato post colla sagittam
Extrahit ipsa suis manibus, vittisque coercens
Purpureas undas, tumidum redit impigra in hostem.
Postquam disjectos reparavit ad arma maniplos,
Addidit et vires trepidis, jubet undique nisu
Collato irruere, atque altum perrumpere vallum.
Dumque hîc ordinibus densis sub castra ruebant,
Crebrisque instabant superare assultibus arcem
Galli, ex opposita castrorum parte Joanna
Jam superest victrix, cunctisque videntibus, album
Vexillum infigit. Ferus hostis utrinque petitus
Hac illac trepidare, fugamque agitare, minaces
Qua minus obsistunt Galli. Jamque exit apertis
Unda ingens portis, stipatoque agmine pontem
Arripit objectum, tanto qui pondere victus

Hiscit, et horrendo devolvit ad ima fragore
Anglorum robur. Vicinæ e mœnibus urbis
Prospectant cives raptantem gurgite vasto
Exsuvias Ligerem, dispalatasque per agros
Relliquias Anglorum. Inopinis ebria factis
Pergit in occursum plauditque redempta juventus
Victrici et sociis. Jam turmas inter ovantes
Ipsa intrat muros, properansque ad Numinis aram
Vincula suspendit patriæ: gratissima semper
Dona Deo, quoties manus offerat inscia culpæ.

ELISA LEU

Æmilius Dourisbour, gallicus Apostolus, dum maximum Cocincinæ flumen navigat, de morte Elisæ Leu, non multo ante pro Fide interfectæ, a Christiano quodam indigena edocetur. *(ex Annal. propag. Fidei, Nov. 1864.)*

ELEGIA

Transierat medium jam Gallus Apostolus amnem,
  Qui latos tumido gurgite lambit agros,
Cocincina, tuos; agilique e puppe recentis
  Relliquias oculis hauserat excidii,
Strataque templa Dei, combustaque tecta, crucesque,
  Putridaque arenti membra inhumata solo;
Quum sic Æmilium miserantem et multa gementem
  Indigena affatur duxque comesque viæ:
« O qui Christiadum stupuisti hucusque trophæis,
  Queis hanc sævities impia sparsit humum,
Huc, huc verte acies, dextroque e margine specta,
  Quæ magis ad lacrimas te pia scæna vocat!
Cernis? ubi, cineres inter fumosaque tecti
  Fragmina, vix frutices herbaque rara virent,
Floribus hîc dives lymphisque scatentibus hortus,
  Et procul arbuteis umbra refusa comis,
Tecta coronabant, quibus atria longa nitebant,
  Omnigenæ et vastis ædibus artis opes.
Hîc pia degebat mulier viduata marito,
  Quâ non excoluit sanctior ulla Fidem.

Numquam inopes ægrosve fores subiisse sinebat,
Quin largam efferret pauper et æger opem.
Numquam clausa Pudor doluit sibi limina Elisæ,
Quæ tot ab accipitris sustulit ungue dapes. —
Nox erat: et teneræ advigilabat sedula proli,
Quam lusu fessam presserat alta quies.
Et spondæ insistens, oculis rediviva legebat
Exstincti e quatuor vultibus ora viri.
At dum cara Deo commendat pignora mater,
Exanimi aspectu sistitur ecce Senex.
Hunc sibi delapsum media de cæde tyrannus
Rura per et colles acribus urget equis;
Deque Cruce omnino se non retulisse triumphum
Credit, ni recidat Præsulis ense caput.
Obstupuit mulier; generosæ et cernua dextræ
Mixta piis lacrimis oscula mille dedit,
Defessoque fugâ, atque extrema pericula passo
Officiosa viro nectit Elisa moras.
At prius æquoreis quam sol exsurgeret undis,
Jam profugum occuluit dissita silva Senem,
Qui loca cuncta petens, Fidei impendente ruinâ,
Se pavidis natis præbet ad arma ducem.
Ut quum delusâ venator perfremit irâ,
Si, queis delituit, fugerit antra leo,
Et furit in catulum, indignoque cubilia tingit
Sanguine, et impatiens findit inerme latus;
Sic Senis explorata diu vestigia sectans
Ut subiit vacuam regia turba domum,
Frendet, et, hospitii luituram crimina, Elisam
Barbarici regis pertrahit ante pedes.

Hujus at invisæ Fidei, stupet ipse tyrannus
  Quid vel femineo pectore possit amor!
Non illam, vexilla Crucis contemnere jussam,
  Tam caræ quadruplex prolis imago movet;
Et scit, quot lacrimis, quot balbis ipsa querelis
  Inscia maternum poscat adire sinum;
Et scit, quæ pressura foret genitoribus orbam
  Eque domo ejectam turpis et atra fames!
Anxiferas removet tua sed clementia curas,
  Qui facili gemitûs excipis aure, Deus!
Jamque Fidem Christi audacter confessa, sereno
  Decretam exspectat lumine Elisa necem.
Postulat ante tamen longævam cernere socrum,
  Suprema et natis oscula ferre suis.
Votis obsequitur Princeps, cui denique certum est,
  Jam tenero victam matris amore Fidem.
At postquam adductos pueros ad pectora pressit:
  Candidaque obtutum fixit in ora parens:
« Hos tibi, Christe, sacro: parili certamine functos
  Hos olim natos tu mihi redde meos, »
Dixit, et hærentes vetulæ circum oscula socrûs
  Dimisit, firmo pectore, sicca genas.
Dumque abit, atque oculos iterumque iterumque retorquet
  Maternos vultus parvula turba petens;
Ecce imperturbata, frementibus undique turbis,
  Ense recidendum flectit Elisa caput.
Barbarici o numquam satiabilis ira tyranni,
  Quantis accumulas crimina criminibus!
Dum retrahit teneros mulier longæva nepotes
  Inter maternos depositura lares,

Aspicit heu vastis bacchari incendia tectis,
Totamque in flammas præcipitare domum,
Cunctaque deleri veteris vestigia cultûs,
Diversisque rapi rudera et ipsa locis.
Ipse egomet quoties ægra cum prole vagantem
Vidi sollicitam sola per arva senem,
Dulciaque alternis gestantem pondera in ulnis,
Quæsita ut miseris arceat esca famem!
Sed non depereant! tutamen ab æthere egenis,
Pura Redemptoris victima, mater erit ». —
Sic ait indigena; et casu comes excitus atro;
« Salvete, o cineres relliquiæque domûs,
Tanta ubi femineo, exclamat, sub pectore virtus
Crevit, ubi decorat gloria tanta Fidem!
Me quoque robur idem maneat, par incitet ardor:
Hoc quoque præcingant serta cruenta caput. »

29

Sch.